



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An, & qualiter licitum sit, excommunicato excipere in iudicio, vel appellare, vel aliâ defensione uti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An, & qualiter licitum sit, excommunicato excipere in iudicio, vel appellare, vel aliâ defensione uti?

Non tantum excipere potest in iudicio excommunicatus, sed omni aliâ defensione etiam appellationis uti potest. Prout colligitur ex c. *Cum inter 5. h. t.* Quamvis enim agere ipsi in iudicio, aut reconvenire Actorem, non permittatur, voluntariè provocando ad Judicem, quæ tamen necessaria illi sunt ad defensionem media (prout plura refert hoc §. *Auct. Meth.*) (Ius naturæ non permittit illi auferri; quin ipsam appellationem etiam prosequi potest, etiam si ut sic sit actor principalis. Prout summitur ex c. *Significaverunt 11. h. t.* Quia utitur defensionis jure. Plura de his, quæ vix ad hunc Titulum pertinent, circa appellationem excommunicati, aut rescripti ab excommunicato impetrati valorem, vide hoc §. apud *Auct. Meth.*

§. III.

Quando, & quomodo Exceptio excommunicationis opponi possit, vel debeat, & quando exceptiones contra testes proponenda sint?

Exceptio excommunicationis quamvis inter dilatorias numeretur, antelitis contestationem ordinariè opponendas, potest tamen ea in qualibet parte iudicii, etiam post conclusionem in causa, usque ad sententiam definitivam, si ea scienter etiam ab initio omissa fuit, opponi. Nequis cum animæ suæ periculo excommunicato communicare cogatur,

& ut magis censura Ecclesiastica timeatur. Quamvis enim ad legitimas expensas excommunicato faciendas condemnari possit, qui sciens exceptionem hanc omisit, & frustra laboribus & sumptibus fatigavit actorem excommunicatum. Prout statutum habetur in c. *Exceptionem 12. h. t. & in c. Pia 1. eodem in 6.* Quod si tamen aliquis exceptionem excommunicationis alicui obijciat, ut ipsum ab agendo repellat, debet speciem illius (utrum sit major vel minor excommunicatio) & nomen excommunicatoris proprium, & appellativum (vel saltem nomen dignitatis) exprimere (ut sciatur delegatus, an ordinarius Iudex hic sit) & intra octo proximos dies, ab objecta excommunicatione, hanc probare aperitissimis documentis, (per testes scilicet vel instrumenta) prout statuitur in c. *1. §. Si quis. h. t. in 6.* admittendus iterum intra tale tempus, si primâ vice in probatione defecerit, non tamen tertio volens excipere, quia præsumitur, postquam bis jam defecit in probatione, malitiosè, & tantum ad subterfugiendam sententiam hoc agere, nisi nova excommunicatio post duas primas probationes interveniat.

Contra personas testium exceptiones obijci, & probari debent, ante latam sententiam (antequam in causa conclusum sit) definitivam c. *Denique 1. h. t.* In ordinariè fieri debent hæ exceptiones ante publicatas attestaciones, nisi non tam contra personam testis, quam contra dictum illius opponatur, aut sententia non transeat in rem iudicatam, quia in his casibus semper locus est opponendi, ad impediendam saltem excommunicatio.